

APPENDIX III.

DE CONSULTATIONE SPIRITUUM, SEU DE SPIRITISMO

282. — En recens, sed omnium pessima superstitio, quae hoc aevo in perniciem animarum ab Orco exorta est.

Ab integro fere saeculo per totum orbem grassata fuerat immanis magnetismi lues. Subinde prodire et percrebuerunt tabularum rotantium phaenomena, quae variis motibus quaestionibus sibi propositis de rebus occultis, et etiam de statu animarum defunctorum responsa dabant. Siluere mox tabulae, seu paulo post seu nostris hisce temporibus, ab anno scilicet 1862, daemones, qui homines per vaticinia somniantium et postea per responsa tabularum deceperant, ipsis per pythones seu personas *intermedias* (*medium* vocant) illudunt et insidiantur.

Sic autem spirituum consultatio habetur: Adis pythonem, cui significas id quod scire cupis de rebus omnino occultis, praesertim ad alteram vitam spectantibus. Ab eo interrogatur, te praesente et audiente, aliquis spiritus, quasi sit anima quaequam, quae ex hac vita iam migraverit, v. gr. anima patris tui, matris, sororis, etc. Ex responsis, quae dantur, minime dubitare posses te vere cum defunctis carissimis colloquium habere. Isti enim plurima tibi referunt, et quidem tibi soli nota, aliis vero prorsus ignota; imo ipso eorum stilo responsa eduntur.

Haec superstitio, prioribus multo peior, haeresim et impietatem magis adhuc redolet; evertit enim dogmata Fidei nostrae inconcussa, praesertim poenarum gehennae aeternitatem. Nam defuncti de statu suo praesente interrogati respondent, se esse iam beatos, vel a poenis mox liberandos, licet in infernum demersos se non diffiteantur.

Ex dictis satis patet, spirituum consultationem diabolicam esse, ut proprie dictam divinationem sacris Litteris tam severe prohibitam.

Qui consultant spiritus, seu *Spiritistae*, ut pestiferum errorem suum facilius diffundant, suadente diabolo coaluerunt in sectam, quae in dies magis praesertim in magnis civitatibus excrescit.

Porro non solum graviter illicitum est spiritus de occultis consulere et interrogare, sed etiam consultationi licet mere passive interesse, siquidem est peccatum cooperationis rei intrinsece malae. — V. *Casus*, n. 277. et seq.

Vide plura de spirituum consultatione, in variis opusculis nuper editis, imprimis *Du Spiritisme*, par le R. P. Nampon, de la Compagnie de Jésus: *Les Mortes et les Vivants* Entretiens sur les communications d'outre-tombe, par le R. P. Matignon, S. I.: *Le Magnetisme, le Spiritisme et la Possession* Entretiens sur les esprits, par le P. Pailloux, S. I.

ARTICULUS II. — DE IRRELIGIOSITATE.

Irreligiositas est Irreverentia specialis, quae Deo, vel immediate in se vel mediate in personis, vel rebus sacris irrogatur. Praecipuae eius species sunt tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia et periurium. De duobus ultimis in 2^o praecepto dicitur.

§. I. De tentatione Dei.

283. — Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis explorat, an Deus sit potens, sapiens, misericors, aut alia perfectione praeditus. — *Ita communis cum S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1.*

Ex duplici autem vitio procedit, nimirum vel ex *infidelitate*, quando quis dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam dicit aut facit animo obtinendi a Deo perfectionis illius manifestationem; vel ex mera *praesumptione*, quando quis nihil dubitans de Dei perfectionibus, absque necessitate vult aut divinae voluntatis manifestationem, aut speciale Dei auxilium obtinere per prodigia (1).

Certum est tentationem Dei formalem expressam semper esse peccatum mortale contra Religionem (2). — Si autem sit implicita solum, saepe ob ignorantiam, inadvertentiam, aut materiae parvitatem venialis esse potest (3). — S. Lig. n. 29., etc.

(1) Quidam tentationem Dei ex *infidelitate* ortam appellant *stricte talem*; ortam vero ex mera *praesumptione* dicunt *minus stricte talem*. Alii illam dicunt *expressam* et *formalem*: hanc autem *virtualem* et *interpretativam*. Hoc tamen aliis non placet; quia *expressa* non semper procedit ex dubitatione circa Dei attributa, sed ex levitate, curiositate, imprudenti fiducia etc. oriri potest.

(2) Hoc intellige de illa Dei tentatione, in qua dubium intercedit de divinis perfectionibus. Nam parvitas materiae in deliberato dubio contra fidem locum nullum habet. Neque tamen confundi debet peccatum contra fidem cum reatu tentationis Dei, quae formaliter ob irreverentiam erga Deum ad *irreligiositatem* pertinet. Sed duplex in hoc actu peccatum adest specie diversum; alterum contra fidem, alterum contra religionem. Caeterum si cuiquam

non satis proposita sit revelatio, fieri potest, ut sine peccato ad veritatem explorandam signum a Deo petatur. Vid. Suarez, *De Relig. Tr. 3. lib. 1. cap. 2. n. 9.*

(3) *Formalis* tentatio Dei ab *interpretativa* differt non solum quia haec admittit materiae parvitatem, illa vero nequaquam (nam quod spectat ad culpae levitatem ob imperfectionem actus, id utriusque commune est); sed praeterea, ut Suarez advertit, modus peccati in interpretativa longe diversus est a formali Dei tentatione; nam formalis ex dubitatione de Dei attributis procedit, interpretativa contra ex nimia fiducia; illa insuper est exploratio divinae perfectionis, haec nullatenus exploratio est, sed reductive et implicite quaedam potius imprudens et praesumptuosa divini auxilii est imploratio. Quocirca concludit Suarez, videri sibi, duo haec etiam specifica malitia distingui.

Resolves. — 1^o Graviter peccat contra Religionem, qui innocentiam suam probari postulat duello, ferro candenti, etc. (4), vel qui ad martyrium ultro se offert, nisi bona fide aut divina inspiratione excusetur.

Attamen licet a Deo petere miraculum sub conditione, *si ei placuerit*, quoties adsit causa gravis ad nostram aut aliorum salutem, vel ad divinam implendam voluntatem, sive (ut ait S. Th. 2. 2. q. 97. a. 2.) cum subsit iusta necessitas seu pia utilitas, et alia quae ad hoc concurrere debent; nam tunc non est tentare Deum sed Dei auxilium expostulare in tempore opportuno.

2^o Item peccat graviter, qui absque iusta causa periculo mortis se exponit, propterea quod divinum expectat auxilium; si vero temere tantum agat, quin certo divinae Providentiae confidat, non peccat contra religionem, sed tantum contra quintum Decalogi praeceptum.

3^o Leviter tantum peccat, qui in morbo levi, reiectis remediis, sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis deordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret se naturaliter, Deo iuvante, a tali morbo liberatum iri. — S. Lig. n. 3. (5).

4^o Item peccat *per se* venialiter, qui ex negligentia imparatus accedit ad praedicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium.

(4) Cum quis temere se gravi periculo exponit, de divino auxilio imprudenter praesumens, dupliciter peccat, nimirum contra virtutem religionis, et contra quintum praeceptum, ut dicitur resol. seq. Vid. Less. lib. 2. c. 45. n. 4.

(5) S. Alphonsus (h. 1.) tribuit Caietano, Valentiae, Lessio, Sayro, et Busembaum, quod levem culpam dixerint, *si quis in re levi et sine gravis damni periculo tentaret Deum ex sola curiositate spectandi aliquod opus supernaturale*. Sed reipsa isti auctores nihil habent eiusmodi; et Busembaum apud ipsum S. Alph. (ibid. n. 29.) oppositum cum Lessio docet. Allegationum autem fallacia in hunc S. Alphonsi locum ex Salmanticensibus (Tr. 21. cap. 12. n. 4.), ut saepe alias, promanavit. Ne autem calumniari videamur, exponamus accurate statum quaestionis et modum, quo ea a S. Alphonso tractatur.

Resolutio P. Gury, uti patet, spectat ad tentationem Dei *interpretativam*; et de tentatione *interpretativa* disserit etiam

S. Alphonsus (lib. 3. n. 30.), cuius haec sunt verba: *Sed quaestio haec est, an in tentatione Dei interpretativa, ut supra, detur parvitas materiae*. Affirmant Busembaum cum Caietano et Valentia in 2. 2. D. 6. q. 14. punct. 2., Lessius lib. 2. c. 45. n. 4., Sayrus Clav. Reg. lib. 4. c. 7. n. 14. et Toletus lib. 4. c. 19. n. 7. *Hi dicunt, quod si quis in re levi et sine gravis damni periculo tentaret Deum ex sola curiositate spectandi aliquod opus supernaturale, hic tantum venialiter peccaret. Sed probabilius Sanchez Dec. lib. 2. c. 34. n. 5., Suarez De Relig. tom. 1. Tr. 3. c. 2. n. 16. eum damnant de mortali, nisi excusetur ratione ignorantiae vel indeliberationis*. Huc usque S. Alphonsi textus, e quo verba sumpta sunt, quae in principio huius notae a nobis sunt descripta.

At enim quis non videt, quaestionem a S. Doctore utique proponi de tentatione *materiali et interpretativa*, sed casum deinde subdi, qui pertinet ad tentationem

§. II. De sacrilegio.

284. — Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacrae. Triplex distinguitur: 1^o personale; 2^o locale; 3^o reale.

Principia. — I. Sacrum heic dicitur quidquid ad divinum cultum publico ritu ex institutione divina vel ecclesiastica deputatur, ideoque specialem reverentiam meretur. — S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3.

Hinc 1^o Personae *sacrae* sunt, quae cultui divino sunt deputatae per sacram tonsuram, aut per vota religiosa.

2^o Loca *sacra* sunt ea, quae publica Ecclesiae auctoritate cultui divino dedicantur, ut templa, coemeteria, sacella publica, etiam non consecrata aut benedicta; non vero sacella privata.

3^o Res *sacrae* sunt eae, quae ad cultum divinum pertinent vel proxime referuntur, ut Sacramenta, vasa consecrata, Reliquiae vel ima-

formalem, cuiusmodi est quaerentis *videre opus supernaturale curiositatis gratia*? Exinde autem vera totius confusionis est causa. Nam Busembaum immediate ante verba S. Alphonsi (lib. 3. n. 29. in fin.) utique levem esse posse culpam dicebat *ob periculi parvitatem*: sed agebat expresse de tentatione *interpretativa*, nec quicquam habet de curiositate videndi opus supernaturale, ac iure merito in rem suam allegat Toletum, Sayrum, et Caietanum. Item Valentia (l. c.): *Contingit esse veniale, si sit tentatio materialis et interpretativa, nisi exponeret se quis maximo periculo*. De curiositate autem videndi opera supernaturalia nihil omnino habet. Ita et Sayrus (l. c.): *Nonnunquam autem solum veniale erit, si sit tentatio materialis et interpretativa, nisi quis se exponeret maximo periculo*. De praedicta vero curiositate nihil ibi occurrit. Quod si Lessius (l. c.), et Toletus (l. c.) mentionem iniiciunt de eo, qui supernaturale aliquid ex curiositate quaerat, id non ad *interpretativam*, sed ad *formalem* tentationem referunt: quando vero de *interpretativa* disserunt, idem sentiunt, ac Busembaum,

et nihil de curiositate videndi supernaturalia miscent. Ergo minus ad rem DD. isti a S. Alphonso ibi allegantur.

Nec solum ex Salmanticensibus deduxit S. Alphonsus allegationes: sed (quod magis dolendum) disputationis formam S. Alphonsus ab illis sumpsit. Salmanticensium scilicet facinus egregium fuit, ut postquam (Tr. 21. c. 12. n. 2.) notiones tentationis tum *formalis* tum *interpretativae* praemisissent, cuiusmodi deinde sit peccatum inquirentes (ibid. n. 3. 4.) nihil inter *formalem* et *interpretativam* distinguerent. Quinimo exemplum proponentes apud DD. commune de interpretativa, hominis nempe, *qui in levi morbo respuit medicinas, confidens a Deo sanitatem consecuturum, non tamen expresse petendo miraculosam curationem, vel si male et irreverenter orat, speret se impetraturum, quae communiter alii impetrare solent*, ut gravis culpae hunc hominem damnent, introspicere in illo omnino volunt, *vanam curiositatem* videndi miraculum, ideoque eum agentem cum Deo tamquam cum ludione expresse exhibent. Hinc vera origo qualiscunque confusionis et apud S. Alphonsum.

gines Sanctorum; item quae pertinent ad ornatum Ecclesiae vel ministro-
rum; bona denique ecclesiastica etiam mobilia. — S. Thom. *ibid.*, etc.

II. Sacrilegium est peccatum mortale *ex genere suo*, quia excellentis-
sima virtuti, nempe religioni adversatur, et plerumque materiam gravem
respicit. — Leve tamen fieri potest ratione parvitatatis materiae, vel im-
perfectionis actus. — S. Lig. n. 33. etc.

III. Sacrilegium specie differt, prout personam, locum aut rem sacram
afficit (6), unde in confessione istae circumstantiae explicandae sunt. —
S. Lig. n. 34. — S. Thom. *ibid.*, etc.

285. **Resolves.** — 1^o Sacrilegium *personale*, committitur 1^o infe-
rendo manus violentas in Clericum vel Religiosum; 2^o luxuriose vio-
lando personas Deo dietas, etiam solis tactibus; 3^o personas ecclesiasticas
subiiciendo iudicio fori — Non erit autem sacrilegium detrahere de sa-
cerdote, quia eius tantum persona est sacra, non vero ipsius fama. —
S. Lig. n. 35.

2^o Sacrilegium *locale* committitur 1^o peccatis omnibus quibus Ec-
clesia polluitur de Iure canonico, scilicet effusione sanguinis et seminis
humani, homicidio, sepultura excommunicati aut infidelis in Ecclesia;
2^o peccatis omnibus quae fiunt contra immunitatem (7) et sanctitatem

(6) Quamquam Suaresius (*De Relig.*
Tract. 3. lib. 3. cap. 1. n. 8.) advertat,
sufficientiam huius divisionis non esse spe-
culativo rigore exigendam, et nullam rati-
onem afferri huius partitionis iuxta ma-
teriam, nisi quod haec magistralis divisio
sit communiter admissa, et accommodata
ad omnia sacrilegia explicanda et sub
quibusdam capitibus comprehendenda, et
ad excludendum quidquid ad sacrilegium
non pertinet; attamen (*ibid.* cap. 5.) com-
muni sententiae adhaeret, quae in triplici
haec partitione triplicem sacrilegii distin-
ctam speciem cognoscit, atque adeo in
confessione explicandam tenet.

Addendum vero cum S. Alphonso (lib. 3.
n. 34.), probabilius has sacrilegii species
non subalternas esse, sed infimas; pro
qua sententia faciunt illa S. Thomae (2. 2.
q. 99. art. 3. ad 2.): *Et sic similiter pos-
sibile est, aliqua duo peccata differre
specie secundum materiales actus, con-
venire autem in specie secundum unam
rationem formalem sacrilegii, puta si*

*quis sanctimoniam violaverit verbe-
rando vel concumbendo.*

(7) Ubi agitur de sacrilegio ob violatam
loci sacri immunitatem, sacri loci notio
multo patet latius, quam cum agitur de
actibus directe oppositis loci sacri san-
ctitati. Nam quoad hosce actus attinet,
quibus et *pollui Ecclesia* potest, locus
sacer dicit tantummodo ambitum loci be-
nedicti ac deputati ad divina officia aut
ad mortuos sepeliendos a tecto usque ad
pavimentum. Si vero de loci sacri immu-
nitate sit sermo, hic exteriores quoque
Ecclesiae partes, porticus, v. gr. sacristiam,
turrim, tectum, subterraneas cryptas, sca-
las ad templum, totamque exteriorem ba-
sim comprehendit. Eodem censu habentur
coemeteria etiam disiuncta ab Ecclesia,
Episcopi palatium, imo et domus parochi,
si sit Ecclesiae coniuncta, Religiosorum
conventus cum horreis, hortis ac iis omni-
bus quae eorum ambitu concluduntur, ho-
spitalia demum auctoritate Episcopi erecta
et sacellum ad celebrandum habentia.

loci sacri, ut sunt effractio, spoliatio, furtum rixae et similia; 3^o actio-
nibus sanctitati loci indecentibus, ut sunt mercatus, conclamationes, stre-
pitus iudiciorum, nisi gravis causa excuset. — S. Lig. n. 36.

3^o Sacrilegium *reale* committitur 1^o indigna administratione aut
susceptione Sacramentorum; 2^o indigna tractatione sacrarum Reliquia-
rum, imaginum, etc...; 3^o profanatione vasorum, instrumentorum et or-
namentorum sacrorum; 4^o furto rei ad cultum divinum vel ad Ecclesiam
pertinentis; 5^o abusu Scripturae, v. gr. verba eius detorquendo ad vana etc.;
6^o vasorum sacrorum, corporalium, etc., incuria in iis, qui haec religiose
curare debent. — S. Lig. n. 40. et 48.

286. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An sit sacrilegium violatio personae
voto simplici castitatis ligatae extra Religionem?*

Resp. Controvertitur. 1^a **SENTENTIA affirmat**, quia per quodlibet casti-
tatis votum homo vere Deo consecratur. Propria enim voluntas ad actus
proprius Deo consecrandos sufficit, aequae ac ad consecrationem publica
sufficiens est auctoritas. — Billuart, *diss.* 10. — S. Lig. n. 47. *ut pro-
babilius* (8).

(8) Haec opinio contra se habet com-
munem theologorum doctrinam, quae sa-
crilegium definit *violationem rei sacrae*,
hoc *rei sacrae* nomine comprehendens
non modo *res*, sed et *personas* et *loca*;
quae speciali quadam ratione cultui divino
destinantur. Porro si de *sacris personis*
sermo sit, *Non quaelibet privata devotio*
(ut bene inquit Suarez *De Sacrileg.* lib. 3.
cap. 2. n. 1.) *aut propositum se totum*
dicandi ad divinum cultum constituit
personam sacram, sed necesse est, ut
ex iure fiat talis consecratio personae,
Haec autem consecratio fit vel per sa-
cram ordinationem in clericis, vel per de-
dicationem ad perpetuum Dei cultum in
statu aliquo ab Ecclesia approbato (Suarez,
ibid. n. 1. et 4.). Quocirca *nunquam per-
sona efficitur sacra, nisi ex publico*
*Ecclesiae iure cultui divino dicata fue-
rit, vel per sacri Ordinis susceptionem*
vel per statum religiosum, prout ait
Laymann (lib. 4. Tr. 10. c. 7. n. 4.), et
suadet etiam cap. *Duo sunt* 7. *Caus.* 12.
q. 1.

Et S. Alphonsus quidem oppositam opi-

nionem praetulisse videtur innixus do-
ctrinae, quam Salmanticenses (Tract. 21.
cap. 12. n. 22.) tribuerunt S. Thomae, quasi
nempe *cuiuslibet voti violatio sit vere*
et proprie sacrilegium. Sed reipsa sicut
falso hanc opinionem iidem (*ibid.* n. 21.)
adscribunt tum Azorio et Bonacinae, qui
nihil eiusmodi tradunt, tum Lessio, qui
contra (lib. 2. cap. 45. n. 11.) expresse
scribit, *parum proprie id sacrilegium*
dici; ita perperam pro ipsa S. Thomam
invocant, et gratis sibi confingunt, S. Do-
ctorem, dum (2. 2. q. 99. a. 3. ad 3.) no-
minat *virginem Deo dicatam*, id de vir-
gine voto simplici obstricta intellexisse.
Patet enim oppositum non solum ex loco
parallelo 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. et 3.,
ubi clarius nominat *personam specialiter*
consecratam, praesertim vero collatione
facta cum 4. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2.
et 3., et 2. 2. q. 154. art. 1. ad 3.; sed
etiam ac multo evidentius ex generali
eiusdem doctrina, quae voti violationem
(2. 2. q. 88. a. 3.) non ad speciem *sacri-
legii* revocat, sed ad vitium *fidelitati*
oppositum. Porro (2. 2. q. 97. *Prooem.*)

II^a SENTENTIA *non minus probabilis negat*, quia per votum simplex castitatis persona non fit sacra; ad aliquam enim personam consecrandam publica Ecclesiae deputatio requiritur. Elbel, n. 584.

infidelitatem in promissis non secus ac periurium peccatis accenset, quae *directe pertinent ad irreverentiam Dei*, eaque prorsus distinguit a peccatis, quae pertinent ad *irreverentiam rerum sacrarum*, cuiusmodi suapte natura et definitione est sacrilegium. Corruit ergo ratio, auctoritas scilicet S. Thomae, propter quam S. Alphonsus in eam opinionem inclinavit. Conf. Suarez (*De Sacril.* lib. 3. cap. 3. et *De voto* lib. 5. cap. 3. n. 4. et 5.), qui etiam ex doctrina S. Thomae palam facit, quantopere hallucinatus fuerit Caietanus, qui (*Comm.* ad 2. 2. q. 99. a. 3.) primus anomalam opinionem ad sacrilegia revocantem quaslibet voti cuiusvis infractiones invexit, quam propterea etiam Billuart (*De Relig.* dissert. 10.) fatetur a *communi sententia alienam esse*, utcumque ipse excipere votum castitatis maluerit, minus advertens, cuiuslibet privati voti conditionem *quoad rem efficiendam sacram* omnino parem existere. Et hoc quidem inde quoque elucet, quod ex omnium consensu sacrilegium circa personas *vere sacras* committitur non solum per actus castitati oppositos, sed etiam per violentam in ipsas manuum iniectionem. Nemo autem illum ceu sacrilegii reum habuit, qui in personam privato castitatis voto obligatam manus iniecerit.

Illud demum accedit, quod nuspam (ut advertit Suarez *De voto* lib. 5. cap. 3. n. 4.) *invenitur in Canonibus*, quod per *solum votum simplex* (nisi scilicet interveniat specialis consecratio aut traditio) *res vel persona efficiatur sacra*. Intellige votum simplex, quod a privato homine extra Religionem approbatam fiat. Atqui cum eiusmodi votis privatis nulla adnectitur rei vel personae traditio. Ratio autem est, quia Deus hasce oblationes seu

donationes per seipsum non acceptat, sed (prouti inquit Suarez *De Stat. Relig.* lib. 2. cap. 7. n. 12.) *si quid donatur ei vel in cultum eius, vult dari ministris suis, ut ab eis nomine eius acceptetur et administretur: et alias facta donatio est vana et irrita, utpote ab ordinaria providentia Dei aliena*. Ergo in voto simplici huiusmodi nulla est donatio, sed sola promissio: ideoque nec ulla consecratio.

Quod ut plenius declaretur, advertimus in primis *sacrilegii* nomen tum *presso* sensu usurpari, tum *lato*: posteriori autem hoc sensu *sacrilegium* dici consuevisse quodlibet peccatum contra virtutem Religionis. Vid. Azor (p. 1. l. 9. c. 27. q. 1.), Filiucc. (Tr. 24. c. 9. n. 220.), Palao (Tr. 17. d. 1. q. 2. c. 4. init.), Tamburini (*Dec.* l. 2. c. 6. §. 3. n. 1.), Catalani (part. 2. q. 7. c. 4. n. 1.), Mazzotta (Tr. 2. d. 1. q. 2. c. 4. init.) etc. Hoc ergo sensu et *Periurium* et *blasphemia*, et *idololatria* etc. sacrilegium dici possunt. — *Presso* autem sensu, et prout est *speciale* peccatum, sacrilegium dicitur *violatio rei sacrae*. Ita Palao (l. c.): *Propria ergo acceptio sacrilegii est, quae ex rei sacrae, a Deo distinctae, laesione seu violatione sumitur: sic S. Thomas ab* OMNIBUS RECEPTUS 2. 2. q. 99. a. 1. et 3.

Succedit summi momenti quaestio: Quid venit *nomine rei sacrae*? Respondet Laymann (lib. 4. tr. 10. cap. 7. n. 2), *rem sacram proprie eam tantum censeri, quae publico ritu aut institutione ad Dei cultum deputata est, sicut docet Iurecons. L. In tantum, et L. Sacra ff. de divisione rerum*. Idipsum habent Palao (l. c. §. 4. n. 1.), Voit (Tr. 1. n. 465.), Suarez (*De Rel.* Tr. 3. l. 3. c. 1.), Struggl (Tr. 5. q. 6. art. 2. n. 9.), Fil-

Caeterum quisquis ligatus sit voto castitatis, quoties hoc violet certo duplex committit peccatum, alterum nempe contra castitatem, alterum vero contra Religionem. — Lacroix, l. 3. n. 55.

liucc. (l. c.), Azor (l. c.) etc. Et consonant reipsa textus a Laymann allegati. Quippe *L. Summa* 1. ff. *de divis. rer. Aliae* (res) *sunt divini iuris...*, *veluti res sacrae*: unde illud S. Thomae (2. 2. q. 99. a. 1.): *Ex hoc quod aliquod deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum*. Et *L. Sacra* 9. ff. *De divis. rer.* sic habet: *Sacra loca ea sunt, quae publice sunt dedicata*. Et §. 1.: *Sciendum est, locum... sacrum fieri posse, cum Princeps eum dedicavit, vel dedicandi dedit potestatem*. Et *L. In tantum* §. 3. ff. *ut. eod.*: *Sacrae autem res sunt haec, quae publice consecratae sunt, non private: si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum*.

Et ex his patet, cur Laymann (l. c.), addiderit, *Non quolibet privato proposito aut voto rem aut personam sacram effici, sed necesse esse, ut publicam ex iure consecrationem, vel deputationem ad Dei cultum habeat*. Et Suarez (l. c. c. 2. n. 1.): *Non quaelibet privata devotio aut propositum se totum dicandi ad cultum divinum constituit personam sacram, sed necesse est, ut ex iure fiat talis consecratio personae*. Et Filiucc. (l. c. n. 224.): *Non quaelibet privata devotio, aut propositum dicandi se Deo constituit personam sacram, sed requiritur, ut fiat iuxta usum Ecclesiae et iuridicum*.

Hinc autem consecrarium, quod votum *privatum* per se nec rem votam, nec personam voventem efficit *sacram*: quia hic nulla intercedit *publica et iuridica* sive rei sive personae deputatio aut dedicatio aut consecratio ad Dei cultum. Quocirca eiusmodi voti violatio utique peccatum est contra virtutem Religionis,

quia magnam in Deum irreverentiam, frangendo fidem ei datam, importat; et quatenus est peccatum contra virtutem Religionis, etiam sacrilegium dici poterit lato illo sensu, quo diximus *sacrilegium* appellari periurium, idololatriam, divinationem, vanam observantiam blasphemiam etc.; sed *sacrilegium presso* illo sensu, quo denotatur *violatio rei sacrae*, nullo modo dici potest.

Quandonam igitur ob violatum votum castitatis (de quo est quaestio) *proprie* dictum aderit sacrilegium? Resp. quando iuridica dedicatione ad Dei cultum persona consecrata fuerit *non utcumque*, sed in ordine ad castitatem perpetuo servandam. Dixi, *non utcumque*; quia v. gr. clerici, in minoribus constituti, sunt personae *sacrae*; sed quia nondum consecrati sunt ad castitatem servandam, quemadmodum nec sacerdotes ritus graeci, hinc violando castitatem reatum *proprie* dicti sacrilegii non incurrunt. Requiritur igitur consecratio in ordine ad servandam continentiam, quae locum habet 1^o *in sacra ordinatione*, et 2^o *in professione religiosa*.

Quinimo si inquiretur, potius ne a ratione voti etiam solemnitis, an a constitutione Ecclesiae, continentiam ordinantis ad Dei cultum, repetenda sit ratio sacrilegii in castitatis laesione, concludamus oportet ab hac Ecclesiae ordinatione sacrilegii reatum proficisci. Nam missum nunc fiat, quod sacrilegii reatus incurritur ab iis quoque, qui cum vere sint Religiosi, solum simplicibus tamen votis perpetuis adhuc adstringuntur: qua de re videsis Suarez et Filiucc. (ll. cc.). Verum luculentius id patet ex Theologorum doctrina, quam et S. Alphonsus (lib. 6. n. 808. et 809.) tueretur, nempe non minus *sacrilegii* reum dicendum esse sacerdotem ob castitatis